



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

IV. Quod seruientibus & mercenariis de frugibus non decimatis debita non  
debent impendi, & quod de nutrimentis animalium decimae debent  
praestari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

C. A. P. IV. *Idem\* Ryomensi & Vvintoniensi episcopis.*

An deci-  
mandum sit  
antequam  
seruenti-  
bus debita  
impendan-  
tur de fru-  
gibus.

Cum homines de Hortun , secundum generalem ecclesiæ Anglicanæ institutionem, de frugibus suis in autumno , nouem partibus sibi retentis, decimas ecclesiæ & mihi, cuius parochiani sunt , sine diminutione soluere teneantur, antequam eidem ecclesiæ decimas ad eam spectantes persoluant , seruentibus & mercenariis suis de frugibus non decimatis debita totius anni pro seruitio suo impendunt , & tunc deinde de residuo decimas persoluentes : Vnde D. V. &c. quatenus sub anathematis districione compellatis eos , vt decimas tam de nutrimentis animalium suorum, quam de frugibus sine fraude & diminutione aliqua in autumno , sicut mos est, statim collectis frugibus, & in aliis temporibus , prout debentur , persoluant , atque de subtrahitis atque retentis dignam satisfactionem exhibeant.

PARS V. DE CONIVGATIS ET SPONSIS  
MONASTERIVM INGRESSIS, VEL  
INGREDI VOLENTIBVS.

C. A. P. I. *Idem Salernitano archiepiscopo.*

V E R V M post consensum illum legitimum de præsentis, licitum est alteri, altero etiam repudiante, monasterium eligere, sicut quidam sancti de nuptiis vocati fuerunt: dummodo inter eos carnis commixtio non interuenerit, & alteri remanenti , si commonitus seruare noluerit continentiam, licitum esse videtur , vt ad secunda vota tranfire possit. Quia cum non fuissent vna caro effecti , potest unus ad Dominum transire, & alter in sæculo remanere.

C. A. P. II. *Idem Pisano archiepiscopo.*

Dif. 32.  
Seriatim.

Quidam intrauit monasterium inuita vxore , ipsum eadem repetente coactus est ad eam redire : ea mortua, quæris an ipse cogatur ad monasterium redire , an aliam possit accipere vxorem. Quæstioni tuae taliter respondemus, quod votum non tenuit. Vnde ratione voti non tenetur ad monasterium redire. Ulterius vero non potest accipere vxorem. Promisit enim se non exigere debitum, quod